

*Doc. 6 (Scriptum est Carolo
primogenito suo etc... Quia nuper
nostra excellentia intellexit...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 6 (Scriptum est Carolo
primogenito suo etc... Quia nuper
nostra excellentia intellexit...)*

1276-07-22

Scriptum est Carolo primogenito suo etc.

Quia nuper nostra excellentia intellexit quod ustitiarius Basilicate fidelis noster decapitari fecit Anisoctum et Symonem de Lauria de Melfia occasione quod ipsi cum quibusdam aliis de Melfia iuramenta unanimiter prestiterunt interficere quosdam fideles nostros Melfie et ipsam terram turbare contra tranquillum et pacificum statum nostri nominis et honoris et intelleximus quod Petrus de Aresio magister aratiarum nostrarum Basilicate de huiusmodi suspectus habetur ac volentes indempnitati nostre curie providere de fide et legalitate Bartholomei comestabuli Andrie dilecti militis et fidelis nostri nostra curia confidente ipsum magistrum aratiarum ipsarum Basilicate ammoto inde predicto Petro de Aresio duximus pro parte nostre curie statuendum. Quocirca tibi presentium tenore precipimus quatenus eidem Bartholomeo coram tui presentia evocato et recepto ab eo de eodem officio exercendo corporali et debito iuramento mandes sibi fieri de ipso officio licteras commissionis et capitula prout. Idem Petrus de Aresio habuit licteras et capitula sub sigillo nostri culminis de officio supradicto factis tam de iumentis pultris et pultrabus quam aliis animalibus que hodie sunt in eisdem aratiis quatuor puplicis consimilibus inventariis expresse continentibus omnia predicta iumenta pultros et pultras tempus merca signa pilaturas et balzanaturas ipsorum quorum uno dimisso penes eundem Petrum de Aresio alio penes eundem Bartholomeum conestabulum remanente tertium Camere nostre et quartum magistris rationalibus magne nostre curie transmictantur et assignatis eidem Bartholomeo per predictum Petrum de Aresio. Iumentis pultris et pultrabus cum fetibus distinctione temporis

mercis signis pilaturis et balzanaturis ipsorum eundem Petrum per licteras sub sigillo capitanei citari facias ut coram magistris rationalibus magne curie nostre tecum morantibus cum quaternis apodixa et cautelis aliis que de officio ipso habet debeat comparere positurus coram eisdem magistris rationalibus de ipso officio finalem et debitam rationem et satisfactorius de toto eo in quo per rationem eandem debitor curie apparebit,

datum Sutri XXII Julii IIII Ind. (1276).